



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA***

***ANGELO S.R.E. CARDINALI SODANO,  
SECRETARIO STATUS,  
ELECTO LEGATO PONTIFICO AD  
CELEBRANDUM EXACTUM MILLENNIUM  
ARCHIDIOECESIS GNESNENSEM***

*Venerabili Fratri Nostro*

***ANGELO S.R.E. CARDINALI SODANO***

*Secretario Status* Magnum anni MM Iubilaeum singulare momentum praebet Poloniae Christifidelibus et, peculiari quidem ratione, illis qui Gnesnensem constituant ecclesiam communitatem quos sane singulari gaudio replet. Dum enim una cum toto Ecclesiae grege alterum celebrant millennium a Redemptoris ortu, millesimam recolunt anniversariam memoriam erectionis archidioecesis, nec non congressionis synodi Gnesnensis. In dilecta Poloniae terra metropolitana illa ecclesia clare eminet ob eximiam memoriam in historia christiana religionis atque stat Polonorum nationis monumentum ob studiosam pastorum fideliumque navitatem qui firmam fidem et cum Evangelio artam iunctionem saeculorum per decursum sunt testati. Quia vero, sicut accepimus, ad millennium memoratae archidioecesis commemorandum, sollemnes Gnesnae agentur ritus die XII proximi mensis Martii, Venerabilis Frater Henricus Iosephus Muszyński, Archiepiscopus Metropolita Gnesnensis, poposcit ut ad personam Nostram illic gerendam sacer Praesul constitueretur, qui Nomine Nostro praeesset celebritatibus tanto eventui convenientibus. Ad Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui primus es cotidiana operositatis Nostrae adiutor, Nostram admovemus cogitationem Nostrumque animum, atque harum Litterarum vi Te designamus *Legatum Nostrum*, mandatis Tibi factis, ut memorato die sacris Gnesnae celebritatibus praesis nomine Nostro utque, animi Nostri sensibus fidelibus illic humaniter renuntiatis, de Christi salvifica opera loquaris deque Eius admirabili sollicitudine erga cunctum Poloniae populum. Omnes hortaberis ut spiritalem vitam renovent atque testimonium fidei, sancto Adalberto intercedente, usque reddant. Dum per Te consalutamus Venerabilem Fratrem Henricum Iosephum Muszyński, quem diximus, omnes sacrorum Antistites, Honorabiles Viros Praesides Nationum illic adfuturos, universum clerum ac Poloniae dilectos Christifideles, vota facimus ut illi, redintegratis viribus, in opus novae evangelizationis diligenter incumbant. Caritate Nostra Te prosequimur, Venerabilis Frater Noster, eiusmodi magni ponderis munus exsequentem, dum peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus Tibi iisque universis qui memorato die Gnesnae aderunt tecumque orabunt. *Ex Aedibus Vaticanis,*

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana